

lum posse *substitui* lapidi porcino majori eum fructu & successu.

## TALPA.

**U**Surpatur **I.** sub forma *calcis*, dum aduritur & calcinatur, in *lepra* &c. uti habet **AUCTOR**. *Vinum* propterea *decoctionis* talpæ prodest iis singulariter, qui laborant *scrophulis* & *strumis*. Observetur etiam, quod talpa calcinata singulariter prodest in *ulceribus cancerosis* & in *ulceribus scorbuticis*, cum etiam internè in *scorbuto* singulariter prodest: **COR Herniam sanat**, dicit **AUCTOR**; fides sit penes experientiam. **SANGUIS** talpæ præter id quod curat *alopeciam*, uti habet **AUCTOR**, peculiaris est in *gangræna* & *sphacelo*, si papyro illinitus exsiccetur, postea aquæ appropriatæ intinctus ita applicetur. In *gangrænosissimis mammillarum affectibus* præ cæteris conducunt **DENTES** ex talpis vivis excisfi: mirè etiam conveniunt in *dentium affectibus*; Unde etiam in *dentitione infantum* adhibiti mirè convenire dicuntur, uti etiam in *odontalgia*. De manu in qua extincta fuit talpa, vid. **AUCTOR**: & præterea manus, in qua fuit extincta talpa, si applicetur cancro sive exulcerato sive non exulcerato, certò eum curare dicitur. Sicuti etiam eadem manus extinctionis talpæ applicata, *Erysipelati*, eundem subito cessare facit. **SANGUIS** & **PELLIS** talpæ applicata in *Paronychia* est experimentum certum **HELMONTII** contra *Paronychiam*.

## TAXVS, der Tachſ.

**D**E quo pauca sunt, quæ solent præscribi & proflare in officinis. Tantummodo **ADEPS** adhibetur propter vim, quam habet aliquantisper fortius penetrantem quàm alii adipēs quicunque. Unde applicatur renibus in *nephritide* vel cum unguento *Dialthæ*, quando volumus compescere dolorem vel cum oleo *scorpionis simplici*, quando volumus pelle-reurinam & calculum.

## VIPERA.

**S**erpens inter omnes præprimis quæ æstimatur *venenata*. De venenis animalium magna lis est inter auctores, in quoniam illa consistant, quæ veteres habent de felle, dentibus, lingua, capite & cauda, hæc omnia sunt convictæ falsitatis, vid. **ZWVOELFERVS** in *animadvers. ad pharmacopœam regiam*. Moderni qui **HELMONTII** vestigia legunt, **ZWVOELFERVS MARCVS MARCI**, **POTERIVS** & similes auctores alii dicunt, quod uti *venenositas* viperarum, ita quorumcunque animalium consistat tantum in *Idea* quadam *furoris*, indignationis & excandescentiæ, unde fiat, ut tantum morsus sint venenati, cum totius bestię partes post mortem sint alias salubres, & elegantissima offerant medicamenta: per morsum autem tantum per salivam *Ideæ* communicatæ & transplantatæ archeum inficiunt. Patet hoc ex omnibus animalium morsibus, quorum saliva est inno-

xia, si sint placida, simul ac vero furore & ira fuerint percita, fit venenum, id quod notum est de canibus, felibus, & similibus aliis. Imò morsus hominis placidi non est nocivus, simul verò furibundus, *iratus* & iracundia percitus alium momorderit, morsus non minus est *venenatus* quàm morsus viperæ, vel canis rabidi & aliorum animalium. In **SALMUTH. PANAROLLO** & aliis, qui scripserunt *observationes*, præstant exempla mortis abortivæ ex morsibus hominum iracundorum, qualem observationem etiam habet **HILDANVS** in *observationibus medico-Chirurgicis*. Ex his similibus & aliis observationibus concluderunt, quod venena animalium oriuntur, tantum ex affectibus perturbatione, ex ira, furore, incandescencia, odio & similibus aliis, qui affectus & ideæ animalium communicatæ similes suscitant tragedias, vid. imprimis **ZWVOELFERVS** ubi de *Theriaca*, trochiscis viperarum, item de **Θ.** vol. viperarum agit. Cæterum hanc sententiam satis probabilem, aliquantisper videtur labefactare *observatio* ista accuratissima & elegantissima, quæ facta est **Florentin.** & jussu **Ducis Hærrurizæ** per **D. REDI**: qui etiam edidit de hoc tractatum *Italice sermone conscriptum*, in quo omnes experientias & observationes in viperis ex agro *Neapolitano* allatis, factas accuratè describit, & dicit se reperisse, quod quocunque modo tractentur *viperæ*, vel comedantur, vel alio modo assumantur, nullo modo sint venenatæ, sive ex vivente sive ex mortua saliva hauriatur internè, sive fuerit irata sive placida &c. Cæterum si infligatur vel tantillum vulnusculum, & illinitur in illud vel tantillum de liquore salivali, hoc ipso dicit esse venenatum animal, & sic internecioni hominem & alia animalia tradere. Fecit experimentum in canibus, quos leviter sauciavit, & ex vipera viva desumit salivam, quam instillavit, & mortui sunt. Gallinas vulneravit in pedibus, sicuti gallos in cristis, & fuit illis venenum, subitoque interierunt immissa saliva, aliaque plura fecit experimenta, sive liquor salivalis sit ex vipera viva sive mortua desumptus, sive ex irata sive placida idem præstabit. Aded ut ex hoc inferat, quod *viperæ* & ejusdem partes omnes assumptæ non habeant vim malignam propter vim succorum in stomacho & primis viis compescentem venenum ejusmodi. Cæterum si extrinsecus sit tantillum vulnusculum, cui applicetur liquor salivalis viperæ, morbus fit lethalis: & propterea etiam morsus viperæ fit lethalis, propter vulnusculum cui instillatum sit tantillum saliva. Ex hoc judicandum de veterum **PSYLLIS**, qui haurire omne venenum sine noxa, aded ut illis dicatur esse naturale, quoniam non est lethale: Verum simul ac applicantur leviter in ore vulnerati, vulnus est lethale. Omnia propterea dicit animalium venena intrinsecus sunt a non sunt lethalia. Imò dicit præterea, quod hoc ipso liquore salivali sive vive sive demortuæ viperæ possint intoxicari tela, vid. talia in tractatu, quem inscripsit, *observationes circa viperam*, aded ut si veræ sunt, repugnent sententiis **Helmontianis** & ejus asseclorum, & interno usu non sint venenata animalia omnia: cum autem sint venena in vulneribus dicendum, quod solum liquor vulnci